

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 11

Artikel: V.C. Iani Adamantii, Itali, epistolarum ad Iac. Christophorum Beckium, [...] fragmenta, quibus egregiae observationes criticae continentur
Autor: Beckius, J. Christophorus / Adamantius, Janus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394627>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



V. C.

JANI ADAMANTII, *Itali*,
Epistolarum

ad

JAC. CHRISTOPHORUM BECKIUM,

Theologum Basileensem

Fragmenta,

Quibus egregiæ Observationes Criticæ
continentur.

J. C. BECKIUS Lectori erudito salutem.

Miseram ego ante biennium & quod excurrit
ad insignis Eruditionis Virum Italum, quem
quia latere honeste quam per omnium ora
volitare maluit, JANI ADAMANTII nomine occul-
tavi, Epistolas S. S. Patrum Apostolicorum, Clemen-
tis, Ignatii & Polycarpi, quas græce & latine cum
variorum, ac suis in Clementem, adnotationibus,
A. 1742. 8. edi curavit Vir Cel. ac pl. Vener. Joh.
Lud. FREY, S. S. Th. Doct. & Prof. Eam Edi-
tionem Basileensem, tanquam elegantissimam, ac,

Tom. III,

X

fi

si quæ alia, cedro dignam, laudabat amicus meus summopere. Verba ejus sunt hæc: Venio nunc tandem ad munus tuum: Quo quidem munere, cave putes aut proficisci abs te quidquam, aut accidere mihi gratius potuisse. Hujus partem alteram, videlicet accuratissimam istam & nitidissimam Editionem Patrum Apostolicorum, seposui per otium his, quæ proxime futuræ sunt, æstivis feriis legendam & fruendam, nec tamen potui cohibere me, quin uno confestim haustu præriperem egregiam Præfationem: nihil illa fieri potest doctius nec magis judicii plenum, neque probitatis. Itaque Auctorem ejus deamo, proque meritis veneror ac facio plurimi. Quam placuit, quod prudenter inprimis & accurate fertur adversus τὰς κατηγορίας! invisos profecto mihi, ut cum Lucilio dicam: *tanquam Rhondes Icadionque*. Etenim, *quis furor, ô Cives!* cum Romani suos Majores, per quos Imperium e modico tale ac tantum acceperant, laudando nunquam satiari posse videantur, esse apud nos, qui contra instituant, & Viros, quorum laboribus, vigiliis, doctrina, periculis, sanguine, christiana Res in eam, quam habemus nunc, amplitudinem adducta est, nedum laude, contumelia atque insultibus prosequantur; quid est, inquam, furere, si hoc non est? Patres ego sicut amo plurimum, iisque delector, sumque semper delectatus; ita gaudeo mirabiliter, quoties pietate posterorum abire protectos a Momorum injuria video. Haftenus ille. Miseram porro Viri Clariss. mihi que in paucis Cari, Antonii BIRRII, Prof. Ling. Græc. in Acad. nostra dignissimi animadversionum in B. Clementis Epistolæ *ἐπιστολίδιον*, A. 1744. editum, quod Jano
Ada.

Adamantio adeo placuit, ut hæc ad me scriberet. De Birriano autem γεύματι quid ego dicam quæris; legi semel, iterum ac tertio, cum amore ductus argumenti, tum elegantia illius operis, & erat quidem scriptio plane ad palatum meum, etenim erga veteris Ecclesiæ Patres peculiari sum studio, atque omnem, qui ad eorum scripta confertur labor, mirum profecto in modum amo: ipse in eadem palæstra fortasse non segnis omnino. Hunc autem Clementem & nativæ causæ vetustatis diligo, & sane vel ob frequens quod subinde interfert ταπεινοφρονεῖτε, cujus etiam est aureum istud: ταπεινοφρονούντων γὰρ ἐστὶν ὁ Χριστὸς. At Birrii Libellus, ut verbo dicam, perplacuit: Ingenii est plenus, doctrinæ, Judicii, acuminis, jucunditatis, peritiæ Criticæ, denique ut verbis utar tuis, unguis plane præmorsos qui sapiat. Unde etiam facile appareat, quantum accesserit Academiæ vestræ, quod Vir talis provinciam in ea sit nactus, græcas literas profitendi. Quam rem ut Deus illi & Viro Clarissimo & summo Amico meo bene ac feliciter evenire velit quæso ac precor. Hæc Janus. Hinc occasio mihi oblata est, cum de aliis, tum de πολυθρῦλλῳ inprimis Clementis loco, qui Cap. 45. Epistolæ prioris exstat, ex Viro Doctissimo quærendi. Verba B. Viri hæc sunt pag. 68. edit. Basil. Τίνας ἔν οἱ ταῦτα δράσαντες; οἱ συνητοὶ καὶ πάσης κακίας πλήρεις, εἰς τοσούτο ἐξήρισαν θυμῷ, ὥς τε τὰς ἐν ὁσίᾳ καὶ ἀμώμῳ προθέσει δαλέυοντας τῷ Θεῷ εἰς αἰκίαν περιβαλεῖν. De hoc, quid ad me scripserit Amicus meus non invito ipso heic tuis oculis subjicere volui, non dubitans, quin & singularem mecum Eruditionem admiraturus, & insti-

tutum meum probaturus sis, sic ergo ille in Literis prid. Eid. Octobr. 1746. ad me datis:

Nunc veniam ad Clementis locum, quo ajebas in literis datis a. d. non. Maji anni superioris, te atque Birrium torqueri; Percunctabar vero sententiam meam, nempe de verbo illo ἐξήρισαν, quod est Cap. 45. Epistolæ prioris: cum enim, ajebas, ἐξήρισαν non sit vox græca isti loco apta, quæritur an non Hesychianum ἐξήρησαν ab ἐξάγω derivatum reponi possit. Ad hæc igitur paucis. Nam ut, quæ volebam, plura ex meis observationibus ad Clementem vobiscum communicem, haud vacat nunc quidem. Ac primum existimo, prudenter a Birrio factum, id est, pro suo more, cum Lectionem Alex. Cod. ἐξήρισαν præferentis non est moratus, eademque opera Wottonum improbat mordicus qui receperit, tum si aliquid emendandum, assentior τὸ ἐξήρθησαν quod a Boissio est, longe omnibus aliorum conjecturis fore magis ad rem atque scripturæ antiquæ vestigiis multo accomodatius. Itaque sane ista Clementis constructio: εἰς τοσούτον ἐξήρησαν θυμῷ, admodum absuerit ab ea græcorum, quorum est quandoque dicere θυμὸν ἐξάγεσθαι aliquem, denique in eo Birrium laudo præcipue, quod istam Hesychii glossulam ἐξήρησαν, ἐξώρμησαν, huc suspicatus est pertinere; hanc enim veram esse Lectionem auguratur, quin & ipsissimam Cod. Alex. modo perpetuam & hujus & fere omnium veterum σύγχυσιν reputemus τῶν ἰ, atque ἡ Literæ; neque vero longe absum, ut Hesychium credam hoc ipsum Clementis in animo habuisse, cum illa scriberet, cujus inusitatius verbum a se repertum voluerit aperire:
Nosti

Nosti enim eum grammaticum delectari frequentem expositione verborum, quæ aut apud Auctores Canonicos obscura sunt, aut apud eos, qui videantur Canonicis proximi; quo fuit olim Clemens in numero. Itaque ad summam sic puto legendum, ἐξήγησαν.

Si autem quæras de Themate, hoc dicam, videri mihi non ab αἶρω ductum, unde est ἐξαίρω, verum ab illo minus jam usitato verbo ἀρέω f. ἀρέσω, a quo Auctor Etymologici derivari fecit ἀρέσκω & ἀρεσός & fortean etiam τὸ Ἀρεῖη: vult quidem ratio ab ἀρέσω futuri temporis aoristum fieri ἐξήρεσαν, non ἐξήρησαν. Ceterum Archaismus aliquis fortasse potuerit παραλήγησαν producere, sicut apud Homerum & Hesiodum ἐπαινῆσαι est pro ἐπαινεσαι, quod Eustathius quidem ait Poëtice factum. Lascaris autem & Virunius; antique. Nisi lego fallor, haud paulo melius. Cum autem ἀρεῖη, si est ab ἀρέω, dicta sit, διὰ τὸ ἀρμόδιον, ceu propterea πᾶσιν ἀρέσκουσα. Sic enim Etymologus ille. Jam ipsum verbum oportet intransitive, prout loquimur, significare τὸ ἀρμόζειν, id est ἀρῶδως ἔχειν, bene aptum & compositum ad placendum πρὸς τὸ ἀρέσκειν reperiri. Etsi notum etiam transitive dici apud Homerum: ἀρέσαι; quin & ἀρέσασθαι & ἀρέσεσθαι sicut, inquit Eustathius, ὅσον εἰς ποίησιν. Sensu autem haud quaquam alio quam conjungendi, mulcendi, reconciliandi, τῷ ἀρμόδιῳ ἔχειν καὶ συναρμόδιῳ ἔχειν ἢ τοις εἰς ἀρμονίαν εἰλθεῖν, quæ si ad hunc modum ita se habeant cum ἀρέω, ubi de animo dicatur, placido esse atque composito notet: jam idem verbum μετὰ σεργηλικῶς, ἐξ, unde fiat ἐξήρησαν, aptum plane κατ' ἀνάλογον.

γλαρ fuerit significandis illis, qui sese præcipientes & statu depelli siverunt, eoque excefferunt, ἐξώγμωσαν, uti Hesychius exponit; Itaque Clementis isthuc ad verbum: *in tantum excefferunt, vel abrepti sunt iræ.* Nobis Italis plane simillimum & figura & significatione verbum. Dicimus enim *Scomposi*: porro sic verteremus hoc totum: *in tanto si scompose-ro d'ira.* En quid mihi de tota re videatur: nisi quid vobis aliter.

Pergit Vir doctissimus in alteris, quas Idib. Jul. 1747. ad me dedit: „Volo adhuc te paucis ad conjectatiunculam illam meam de Clementino ἐξήγησεν, quam quod Birrio nostro visam ais doctam & ingeniosam; enim vero nimium ille mihi vir dat, cum doctrinam & ingenium tribuit, a quibus abesse me longe sentio: quod autem ut omnino probarem, a se requirere videbantur exempla veterum. Etsi vereor ne sit ineptum, exigua de re loqui uberius, tamen cum vobis cupiam, quantum est quidem in me, satisfacere, cumque Viros doctissimos eosdemque prudentissimos videam aliquando non refugisse ab hoc genere, ut suas ejusmodi conjecturas longioribus Epistolis quasi defensitarent: Quorum Petrus inprimis est ille Victorius, nulli, si quid ego judico, neque prudentia, neque doctrina, neque gravitate Vir postferendus: Quin & primos habendus inter signiferos: atque hujus binas memini ac bene longas haberi Epistolas ejusce argumenti: altera ad Antonium Augustinum, ad Hieronymum vero Mercurialem altera: Cum hæc, inquam, ita sint, dabitis profecto mihi tu atque Birrius hanc veniam, ne continuo damner a vobis ineptiarum, si aliquanto

quanto diligentius, quam superioribus feci litteris; exponam rationes in ea re meas, saltem & quidem haud paulo meliori jure, his pro me utar Victorii ad eundem Augustinum verbis: Cum alia Epistola quendam Ciceronis tractaret Locum: *Sed hæc ipsa quoque, de quibus ego nunc ago, minuta pusillaque sunt, nec tamen omnino in tanto Scriptore negligenda:* Principio igitur satis constat inter nos quidem, id verbi ἐνίσιον in Clemente omnino corruptum esse, atque sic dicam rejiculum: nec Wottonum moramur, etiam hic suo codici sic hærentem plane ut infans uberibus. Laudamusque potius doctos viros, qui suum ingenium ad emendandum contulerunt: ergo & fatemur ulcus & quærimus opem medicam. Hoc ergo primum; tum & illud deinceps tralaticium est: hujusmodi Scriptorum ulceribus optime adduci medicinam e proximo, quæ scilicet una constet mutata Litterula: ut cum is Exempli gr. quem appellavi modo, Victorius, quod legebatur in ad Lentulum Ciceronis: *Illæ furta muliebrum Religionum*, fecit hac usus methodo: *illa furia muliebrum Religionum*, quæ verissima emendatio, cujusque sibi gratulatur Socium Ubaldinum Bandinellum, magni tum nominis virum: est quidem a Lambino post repudiata, verum asserta nihilominus a Grævio, prudente hujuscemodi rerum inter paucos. Sic iisdem in Epistolis ex eo quod scripti habebant Codices: *Pactetinis Rei publicæ*, Victorius: *Parietinis Reipublicæ* facile ac vere: suntque, ne multa colligam abs re, non nulla hujus generis illo in elegantissimo Petri Bembi Dialogo de Pulice Virgilii.

Sequitur tertium velut *αξιωμα*: tum vero etiam expeditiorem eo ferre viam, ubi frequens veterum passim Librorum animadvertatur error permu- tandis quibusdam invicem Litteris præter cæteras, minus enim jam iis quidem in Litteris dubitabitur: quod si præterea usu venit etiam peculiariter eo in ipso vetere Libro, unde Auctor promptus in lucem est, cujus de Auctoris concepto Verbo quærimus, ut non semel illius Verbi Litteris com- mutatis erret, an non probabilis hinc existet mul- to magis ratio emendandi.

Denique ad omnia hæc si & grammaticus quis-
piam accedat antiquorum, apud quem illius at-
que adeo corrupti Verbi aliud simillimum reperia-
tur & numero & persona & declinatione Verbum
ac tempore: unica vero diversum ea littera, qua
solent aliqui peccare, cum cæteri passim veteres
tum liber archetypus auctoris, cui est opus me-
deri: exponatur autem ibi a grammatico id ver-
bum sic paulo aliter scriptum, altero, ut mos est,
verbo, quod quidem appareat & ad Locum & ad
mentem corrupti obscurique auctoris aptissimum;
Amabo quid reliquum erit, nisi ut primum, cum
sic omnia convenient, exploratus pæne videatur
Auctor, unde sibi Grammaticus ritu istius gentis
verbum sumserit declarandum, tamen etsi ejus re-
ticuerit nomen; deinde ut si ei verbo, prout scri-
bitur apud eum Grammaticum, analogia certe con-
stet, quæ uti nunc apud suum legitur Auctorem
haud quaquam constat, vix dubium sit, quin er-
ror unius litteræ haud sane insolens ope veteris
Grammatici resarciatur, atque id etiamsi nulla for-
tasse

tasse occurrant alibi exempla ejus verbi, neque enim semper exemplis agi posse vel ab ipso docemur Birrio, Doctissimo Viro, qui cum apud Clementem κρύμματα suaderet legendum pro eo quod nunc est κλίματα, hæc ait: *Non est quidem id usitatum græcis Vocabulum, sed ἀναλόγως, ἀπὸ τῆς κέντυμαι, uti κρύμα a κέντυμαι formatur: satis autem constat, cujusmodi verbalia nomina pro se quemque ut lubuit, præsentē nota, ut ait Horatius, signata produxisse.* Tum addit, quod verissimum est: Unde & in Lexicis utriusque linguæ tot unius loci auctoritate nixa leguntur, quæ nemine cordato propterea suspecta erunt. Docte etiam Birrius & jure.

Nunc ergo da mihi operam, quæ hæctenus præsumsi, num eo cadant, ut non imprudenter existimetur, verum esse potuisse Clementis verbum τὸ ἐξήρῃσαν, quæ mea fuerat in superioribus ad te litteris conjectura. Etsi nunc idem video & Cotelero ante placuisse, si quidem Wottono creditur, nam ipsius Cotelarii nullum hac de re dictum memini, quin & lubens animadverti modo etiam vestram Editionem hanc nitidissimam, qua tuo beneficio potior, eo propendere, videlicet cujus in margine inferiore annotatur legendum ἴσ. ἐξέκασαν (quod Junii fuerat) vel ἐξήρῃσαν (quod Cotelarii); ut meæ jam postremæ sint hoc in negotio partes, nisi quod ego, si meministi, præterea conabar ad suum thema referre, nec inepte, ut opinor, lectionem, quæ mihi præ cæteris aridebat; arridebat autem propter has causas, nam primum, ubi ἐξήρῃσαν legatur pro ἐξήρῃσαν, mollissima tum fuerit medicina omniumque laudatissima illa & facilis, nimirum ex unius immutatione litteræ deinde; eius litteræ in qua veteribus libris mos est errare, siquidem iis

frequenter » loco : scribi per errorem & versa vice, cum apertum aliunde, tum esse testimonio possunt editiones Aldi, quarum ut est quæque vetustissima, ita maxime in ea perversione peccat, neque id adeo magis Typographorum, ut puto, incuria, quam quod Aldus ipse profiteatur haud quaquam se præter codices libros emendaturum, quod sane facit quadam ad Guarinum Epistola Poëtis aliquot præfixa græcis.

Neque alio de fonte sunt hæc apud Hesychium errata, cum legitur ἀπολιταργῆσαι, quod erat ex Aristophane legendum ἀπολιταργίσαι, tum & κικλήσ-
μὸς pro κικλισμὸς. Hoc enim rectum, ut docti monuere. Sic διακονῆσαι pro διακονίσαι, κικλίτκει pro κικλήσκει, & si quæ alia. Ut quod eleganter Henricum Stephanum memini scribere, observatos a sese diligenter veluti scopulos, ad quos offendere librarii solerent, quosque ipse deberet, multo ante prævidens, habere suspectos : unus profecto hic jure dicatur ex iis scopulis. Veruntamen quid Libros dico & Librarios, cum hæc & nummi conturbent & lapides, plane ut latini Codices(i) atque (e): sic in præfatione Plinii, quod nunc est, ex Hermolai cumprimis emendatione: *ceu vero nesciam*, fuit in antiquis, Rheno teste, *ceu Beronis etiam*, *nis* pro *nes*: atque hinc fortasse initium factum est etiam corrumpendi verbum *aperio* apud Nonium in *Scapum*, scribendique *Capitio* quod (i) posito pro (e), obscurataque semel voce, facilis deinde fuerit lapsus in deteriora. Locus, qui est e Bimargo Varronis, in Libro meo sic habet sese: *Mihi quam dividii stilo nostro Papyrino Lanii scaposcapitio nova Partuspecticon*, monstrose omnino ut vides

des, ceterum cum *in mendis*, ut ille idem ait Rhe-
nanus, *veterum librorum non aliter sincera lectio lateat*
ac in purgamentis officinarum aurariarum vel argentearum
nobilissima metalla. Ex iis ego ramentis faciebam:
Nili aquam adhibui, dum stilo nostro (f. melius immisso)
Papirinos leves scapos aperio novo (χαρτοπυκτικῷ.)
Sic ut duæ postremæ voces tertii sint casus. Scindi
autem vel aperiri ad chartas papyrum; Nili aquam
turbidam vim ad eas habuisse glutini: Id Gluti-
num, quod græco intelligatur verbo, recens ac
novum oportuisse accurari, docemur a Plinio
L. 13. c. 12. Neque enim his extra semitam im-
morari par est, quin ut in viam: Illa ergo si vera
sunt; Jam accedet, quod multo magis nos affi-
ciat. Ipse enim, ipse tantæ antiquitatis Liber
Alexandrinus, unde Clementis Epistolæ prodie-
runt, cum sæpe alias commutat literas, tum &
has porro neque in sui modo parte præstantiore,
quæ Vetere constat Novoque Fœdere, verum &
in Clemente, veluti cum prioris Epistolæ c. 1.
καθίκεσαν habet pro κατήκεσαν. Econtra vero c. 28.
ἀφίξω pro ἀφίξομαι. Alterius autem Epistolæ c. 10.
ἡλήκην pro ἡλίκεν. Etiam alicubi, transfert eas li-
teras, nam prioris c. 39. μυκτιρήζουσι ponit loco
μυκτιρίζουσι. Ut non sit ex τῶν ἀδυνάτων ab eo-
dem fluxisse vitio etiam ἐξήρισαν ineptum verbum
pro ἐξήρησαν. Adhuc observando res eo adducta ne,
sic ut dicam, præter naturam, neve imprudens vi-
deatur ista emendatio. Sequitur ut quæramus, sit
ne præterea neque incredibilis neque contra ratio-
nem veram; quo quidem jam facit Hesychius,
nempe is grammaticus non solum habet ἐξήρησαν,
insolitum alioqui verbum, cujusmodi sunt ei non
pauca:

pauca: sed & alio exponit verbo notiore, qui glossarum est mos: eo autem ad rem atque rationem Clementis adeo appposito, adeo amussinato, ut nihil supra. Sic enim Grammaticus: ἐξήρισαν ἐξώρμισαν. Mihi vero duo hinc oboriebantur, credo item & Cotelerio; primum ut illa summa paritas utriusque vocis Clementinæ, inquam, & Hesychianæ, quæ una distarent litera, etiam invicem solitæ conturbari: quarumque illa absque dubio, hæc certe non liquido corrupta, pro judicio foret, hunc ipsum fortasse Clementis esse locum, quem ibi voluerit Hesychius illustrare sua glossula. Quippe doctos viros animadverteram non alia, præter hanc similitudinis, regula frequenter pervenisse ad vera, quæ sunt apud antiquos, vocum Hesychianarum cubilia, cum is auctorum fere tacuerit nomina. Quo facto & fonte solerter agnito, eosdem egregios viros cum deinde viderem errata scribarum, quibus laborat Hesychius, non raro ad suam originem feliciter emendasse; existimabam itidem e converso licere ab Hesychio Auctores emendari, quibus ille usus videretur; quocunque laborant ii quidem palam, ipse autem erroris non est compertus. Ne sit autem, facit raritas verbi tanta; quod ut nullis testibus convinci potest, ita si ei alicunde conciliari queat analogia, quæ sit apposite conveniens glossæ, non modo tuebitur hæc sese ne moveatur loco, verum & suos ad lares auctoremque suum postulabit apud prætorem quasi postliminio reverti. Nam amabo te, ades dum si Clementis eo loco, pro vitioso, quod nunc legitur ἐξήρισαν; scriptum invenissemus ἐξώρμισαν, quo alterum illud Hesychius exponit, sic εἰς τοσοῦτο ἐξώρμισαν θυμῷ, quid tum? esset, credo, pax

pax rebus, nihilque omnino dubitationis criticæ. Illustraretur autem locus a nobis vel Budæi verbis, quæ sunt: ἐξορμᾶν dicitur leo cum irruit in venatorem vel in aliam feram, aut sane potius ὄρμην comminisceremur intelligendam hic loci prout a Stoicis exponitur, impetus quidam animi, Ratione carens, qualis Bestiarum est, hinc verbum ἐξορμᾶν compositum, quo Clemens uteretur. Eo in verbo possemus dicere cum interprete antiquo ad Aristophanis, aut Sophoclis verius, in Phineo τὸ ἐξωρμάτωται præpositionem ἐξ, ut sæpe alias, ἐπίτασιν δηλῶν atque inde ἐξορμᾶν impetu ferri inconsulto. Plautus & Catullus dixere, facere impetum: quapropter hoc totum: εἰς τοσῶτο ἐξώρμησαν θυμῷ, exponi oportere: in tantum irarum impetum elati sunt, vel excefferunt; nam structuram eandem hic plane reperiri cum illa ut puto Aristophanis: εἰς τοσῶτο ἐλήλυθας μανίας, ubi modo verbum immutes pro verbo, sententiam ab ea Clementis nihil diversam videri, qui alibi, etsi alio verbo, tamen eodem schemate dixerit: ἐξακοντίζουσιν εἰς ἕρην καὶ σώσεις. c. 14. Hæc quidem adhuc satis bene; sed enim vero nunc aliter accidit, ut non jam istud in Clemente legatur tantopere appositum ἐξώρμησαν, verum ipsius loco aliud, scilicet ἐξήρυσαν. Corruptum quidem profecto; Cæterum unica distans unius varietate Litterulæ ab eo ἐξήρυσαν, quod auctoritas Hesychii testatur, esse alteri nempe illi sic ad Clementem facto verbo plane, ut cum veteribus dicam Criticis, συναμφοτέρων καὶ ὁμοίων: quid ergo inde fiet? Opinor hoc, ut, cum quæ uni duorum æqualium reperiuntur æqualia, eadem & alteri necessario sint æqualia; nil vetet, quominus quæcunque de altero dicta sunt ἐξώρμησαν, propter quæ

quæ aptum esse Clementi posset, omnia jure suo redeant in alterum ei συναμψότερον, Hesychio auctore, τὸ ἐξήρῃσαν. Idque adeo Clementi æque cum ἐξώρμησαν accommodum videatur. Ac præterea, propter eximiam similitudinem vocis, esse illius germanum haud imprudenter existimetur. Quidni autem? Ἑτυμολογία modo constat, propter quam cum adjuncto suo facile convertatur, ac sint ejus, quæ Plautus ait: *Utroque versum est ingenium meum; ad Te atque ad illum: pro rota me uti licet.* Atque hoc est, uti scis, quod ego tentavi facere (nec fecit, quantum scio, Cotelarius) nimirum exemplo veterum, qui verbis obscuris & singularibus, non dubiæ autem significationis, themata conjectando recta circumspiciebant. Idem Etymologo græco perpetuum est.

Atqui ἐξήρῃσαν caret exemplis. Primum haud scio, an jure dicatur exemplo carere, quod & auctore nititur Hesychio, neque ab analogia discrepat. Hoc scio equidem late patuisse viam Criticis Hesychii corrumpendi, quod ut inauditum sibi quoque in eo verbum occurrerat, continuo vertere & immutare sunt ausi. Ac deinde, quod prioribus, ut indictum ore alio respuebatur, cum posteriores, ut fit, ejus exemplum aliquod inquirendo ac ruspando peruestigassent, haud pauca recepta sunt, postulatque de repetundis Critici. Quod si fors fortuna ferret, ille ut antiquus verbi semel usurpati auctor, quod longe pluribus contigit, ævo periisset, nec posset ad testimonium citari, jam actum fuerat scilicet! loquor cum doctissimis Viris, quique multo me sciant melius, quot apud Græcos inveniantur cum dicta semel,
tum

tum sic ingeniose conficta verba, ut in parte totum designetur; quæ quidem ego soleo appellare contorta. Quorum esse possit ἐξήρησαν hoc ipsum factum, si forte, ab ἐξάρτω. Veluti singulare, ut puto, est Aristophani, πάλεριζε, pro *Deum invoca*, ut *Patrem*: ejusdem ἀνωγλύλιζες, pro *vanum sapiebas*: ἐπανθρακίζω, pro *sacrifico*. Hæc, ut Comica, quo modo solet loqui Pollux, græca tamen. Κεπρωθεὶς Aoristi participium apud Suidam, quasi ἐπαρθεὶς, ac κεκεπρωμένοι in Hesychio ἐπηρμένοι, utrumque a κεπρῆμαι, quo usus perhibetur ad Atticum Cicero.

Quædam vix dicta videas plus semel. Sicuti Aristoteles, cum διαβάλλειν dixisse videtur pro *communire*, 1. Rhet. 3. ubi de occultanda in dicendo arte præcipiens, alioqui auditorem fieri cautum plusquam sit opus, hæc ait: ὡς γὰρ πρὸς τὸν ἐπιβελεύοντα διαβάλλονταί. Quæ sic, ni me fallit, vertenda sunt: *Quippe veluti adversus insidiatorem communiantur*, vel, *communiant sese*. Nam, quod ibi Victorius exemplum adhibet e Plutarchi Symp. I. 8. & quidem unicum adferri quod possit, nec tamen adeo explicat fortasse commode, hujusmodi poscit sensum; enim vero haud tritum; immo & rarum. Nec tamen idcirco emendandum, ut puto, censebimus Aristotelem: Fecit Muretus, τῆς χρησεως offensus insolentia, Riccobono probante. Is enim Variarum suarum L. 7. c. 8. διευλαβεῖναι vult legi. Notius quidem pro illo usu verbum, & rei appositum; at minime propterea præferendum alteri, quod Codicum est constanter antiquorum. Neque enim propter usum fere singularem oportet λέξιν repudiari, cui aliquando aliqua sit ἀναλογία.

Sicut

Sicut αἰδέσασθαι observat Harpocracion sensu peculiari adhibitum a duobus, *Lyfia*, sive alio veterum, ac Demosthene, ἀντὶ τῆς μελαπειοῦσθαι.

Unum addam, eo quod, mihi ad hujusce vocis ἐξήρισαν perquam facere ἀναλογίαν videatur. Est autem elegantissimum & privum Theocriti, compositum nomen: Adonias. Πάραρος hoc versu: ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γῆς ἔλαβ' ἐνθῶν. Eo de nomine quid recentiores habeant haud scio, quos non vidi. Vetus Interpres nil admodum ad rem nostram, nisi quod aliunde reddit eleganter, παρηρητημένον τὴν γνώμην. Melior Eustathius in Iliad. †. ὁ δὲ παρὰ Θεοκρίτῳ πάραρος - - - γίνεται ἐκ παρὰ τὸ αἰείρω, ἀλλὰ παρὰ τὸ ἄρω, τὸ ἀρμόζω, οἷονεὶ ὁ παρηρητισμένος. Verum Auctor Etymologici paullo aliter. Modo locus emendetur, ut ratio vult, qui uno deficitur verbo. Postquam enim dixerat de παρήγορος, quod facit ab αἰείρω, aperte ostendit, velle se deinceps agere de alio nomine, cui Thema sit ἀρμόζω, diversum ab αἰείρω. Nec tamen id memorat nomen. Ait enim: καὶ ὁ μὴ κατὰ χῶραν ἔχων ἀραρυίας τὰς φρένας, ἀλλ' αἰωρεμένας, οἷονεὶ ὁ ἄφρων, παρὰ τὸ ἄρῶ, τὸ ἀρμόζω. Atqui palam, inquam, est, deesse nomen, de quo loquitur, neque id aliud ab hoc Theocriti πάραρος, tacito Auctoris nomine: adeoque legendum, καὶ πάραρος, ὁ μὴ κατὰ χῶραν ἔχων ἀραρυίας τὰς φρένας, ἀλλ' αἰωρεμένας, οἷονεὶ ὁ ἄφρων, κατὰ τὸ ἀρμόζω. Sic unum distabit Eustathium inter & Auctorem Etymologici (nam cætera sunt eadem) quod, levi sane discrepantia, ille quidem ab ἄρῳ, hic autem πάραρος facit ab ἄρῳ. Idem qui, & alibi, dicit fieri posse, ut ab eodem ἄρῳ, prout valet etiam

etiam ἀρέσκω, sit non modo ἀρετή, verum & ἀρετήρ, ἱερεὺς: quod nomen dictionis τῆς πεποιημένης Aristoteles in Poëticis, exemplum habet: Adeo feracem illa Grammaticus facit radicem derivatorum: ut nihil incredibile de ἐξήρησαν.

Ergo ex his, quæ dixi adhuc, mea ratio sic est. Ex ἀρῶ, addita præpositione παρὰ esse potest ῥηματικὸν præteriti medii πάραρος. Idque nomen, etsi nihil a se ipso designans, nisi τὸ μὴ κατὰ χῶραν, tamen vel nulla mentione facta τῶν φρενῶν, significat nihilominus, *emotum mente*. Atqui παρὰ & ἐξ æquæ sunt facultatis; notat enim utraque τὴν ἐξω σχέσιν, ut quidem Grammatici autumant. Ecquænam ergo erit Analogia, quæ prohibeat, ne, si æqualibus addantur æqualia, tum ea, quæ remanent, futura sint æqualia? Id est, si eisdem themati ἀρῶ præpositio jungatur ἐξ, earumdem virium cum παρὰ, ne idem ex integro composito utrinque fundatur sensus? Ut quemadmodum ex ἀρῶ, ἀρμόζω, factum πάραρος, non solum *emotum* significat, sed *mente emotum*; sic ab eodem themate ductum ἐξαρέω valere queat *excedo mente*. Unde, re satis quæsitæ, neque Analogia perimat verbum ἐξήρησαν, ne possit in Clementem cadere, quam scis meam fuisse conjecturam, atque τῷ ἐξώρμησαν æquari: & si quis illud opponat Eustathii, ad Iliad. α. εἴπερ ἦν ἐν χρήσει, ἢ καὶ ἂν ἦν ἐξω ἀναλογίας; jam usus auctore nitatur Hesychio, non dilutæ sane in hisce rebus auctoritatis. Neque enim agitur nunc de verbo ad nostrum arbitrium innovando, atque illi Civitate velut usurpanda. Effet enim opus eo & argumentis, & quoque testibus. Sed an verbo, quod Hesychius & adfert

Tom. III. Y &

& explicat, constare satis Grammatica ratio possit, eademque haud inopportuna Clementi.

Audi, quod nunc in mentem venit. In Libris M. Ciceronis ad Attic. L. 14. Ep. 10. sic olim legebatur: *Sed, ut scribis, ῥιζόδεμιν magnam cum Antonio.* Ibi Victorius, [hoc utor libenter, quod nemo tractaverit hujusmodi res castiore prudentia, sic, ut eum Grævius jure ac merito dixerit Æsculapium bonorum Auctorum unicum.] Ibi ergo Victorius, non habens, quid τῷ ῥιζόδεμιν corrupto faceret verbo, en quo se contulit! Ait enim: *Videndum est, an debeat emendari ῥηζόδεμιν, ut significare voluerit concertationem Octavii de Cæsaris hereditate.* Nimirum similiter, atque ego in Clemente, in Tullio hic ex i facit n. Sed rationem audiamus: Videlicet ex Analogia duntaxat: *Multa sane componunt & complicant nomina cum hac voce Græci.* Nam ῥηζίπων dicunt, & ῥηζήνορα, & ῥηζίφοισι: quare non mirum esset, eos etiam ῥηζόδεμιν dixisse. Quæ cum scripsisset, deinceps exempla fatetur deesse. In eam tamen adhuc non incidi. Tum pro sua modestia: *nec ullam rem certiorē asserre possum, sive de sinceritate, sive de sententia hujus aut illius dictionis.* Hæc Victorius. Utique professus aperte, vocem exemplo destitui. Attamen haud propterea destitit Vir prudentissimus, neque veritus est, in illis emendatis maxime Libris Florentinis, eam ipsam ῥηζόδεμιν edere, ac vocem adscribere vel Tullio vel Attico, cujus exempla nulla sibi essent in promptu. Eamque emendationem continuo Paullus Manutius arripuit: & qui rejiciunt, non aliud, præter Analogiæ rationem opposuere, quæ sibi minus apta videretur.

retur. Sic enim Bosius: *Victorius edidit ῥηξόθεμιν.*
Scribendum potius fuit ῥηξίθεμιν. Sic apud Theophras-
tum: δένδρα ῥηξίφλοια. Et si neque intentione Bo-
 siii videtur perire Victorii conjectura, ubi res in-
 quiratur acutius. Nam exempla compositi nomi-
 nis, quibus eam ex ipso Victorio Bosius oppug-
 nat, ita sunt facta, ut pars nominis prior alteram
 regat, adeoque per i non per o complicantur.
 Nam ῥηξίφλοιον, id quod abruptum habet corticem;
 ac de aliis item. At qui ῥηξόθεμιν fecit, ut rem
 diversam ostenderet, ludere videtur potuisse,
 quasi ad formam τῶν, μιζολύδιος, *Lydius non sim-*
plex, μιζόθυρ, partim fera, Hermosthena, & simi-
lium. Itaque ῥηξόθεμιν intellexisse, haud quidem
rupturam juris: Verum quasi dicas: jus non jus, ab-
ruptum jus, quod armis & rumpendo quaeratur jus,
 utraque parte compositi recta. Nam ῥῆξαι belli-
 cæ quidem rei propria vox: quippe, ut dicam
 Eustathii verbis: *Iliad. β. καὶ συρρῆξαι, καὶ ῥαγῆναι*
πόλεμον φασιν οἱ ῥήτορες, quod Latini rumpere sim-
pliciter. Ut in Eunuchō apud Nonium quidem:
cessa huc intro rumpere, ingredi violenter. Græci
 voce passiva libentius: *ἐκραγῆναι.* Quod si & ῥή-
 γνυμι, & *rumpo*, ut volunt, æque ab ῥήσσω, me-
 rito eadem utrique vis. Non igitur abs re, hoc
 sibi voluisse Atticum eleganter ista voce, quam
 Cicero approbat: *magnam fore inter Octavium atque*
Antonium disceptationem, haud civilem quidem illam,
 sed ejusmodi, cujus omne jus, *θέμις*, esset in ar-
 mis, *ἐν τῷ συρρῆξαι πόλεμον, vel ἐν ῥήξει.* Ut,
cum non ex jure manu consertim, sed magis ferro,
rem repetunt: Qua ratione diversa erit Analogia in
ῥηξόθεμις, atque sit in ῥηξίφλοιος, & similibus; vel,
ut hoc addam, Homericō in illo ῥηξιδώρανα.

Itaque observatio Boissii alteram tantummodo petit duarum interpretationum Victorii, quæ fuit: *Sive fortasse per hoc Verbum rem ad arma venturam, & contemtis fractisque legibus, armis illos dimicatu- ros.* Quasi dicenda *ῥηξόθεν* esset, *confractio juris*, una compositi nominis parte regente alteram, sive recta una, altera obliqua. Sed magis, ut puto, accedit ad verum illa, quam priorem idem Victorius attulerat: *ut significare voluerit concertationem Octavii cum Antonio de Cæsaris hæreditate.* Etsi mihi, quod liceat dicere, felicior omnino Victorius videtur in restituenda græca voce, quam olfacienda sententia. Veruntamen, quidquid harum sit rerum; finge id compositum sic alioqui carens exemplo apud Hesychium, iisdem plane litteris, inventum a Victorio. Quam vocem, unica fretus Analogia recepisset, an dubitas, quin confidenter tum denique fuerit asseriturus, quasi veram & germanam Tullii? Ego vero non dubito. Is enim sic reputasset: multorum ab Hesychio usque ad nos Auctorum scripta periisse, ex quibus æquum sit arbitrari sumpta, si quæ in eo ceu analogica sint, exemplo tamen careant. Quod genus nonnullæ ex iis, quas Eustathius ad *περίην. λέξεις ἰδιαιτούσας* vocat. Ipsam igitur Analogiam, quæ Victorium solitaria movit, eandem auctam insuper Hesychii calculo, quo & Victorium par est fuisse confirmandum, ut Cotelerium movisse crediderim ad illiusmodi emendationem Clementis; ita me quidem adductum his, quæ scripsi, perpulit, ut in eandem insciens pedibus irem sententiam Cotelerii.

Verum

Verum & hoc accedebat, quod quæ reliquis absque dubio melior est omnibus, emendatio Boissii legentis ἐξήρθεσαν, partim commoda videbatur mihi, sed partim etiam incommoda. Et quidem eo commoda, quod minimum abit a lectione corrupta. Quippe ubi una modo littera addita, salva res est. Accessione autem, sive ademptione litterulæ notum est eleganter vulneribus auctorum consuli. Quemadmodum, si hoc pateris, existimavi olim haud male emendatum a me Tertulliani locum *de Præscriptionibus*. Ibi de Romana Ecclesia sic: *Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt*. Cumque Rigaltius edidisset: *Ista quam felix Ecclesia*. Mihi cum aptius tum propius videbatur legi: *Satu felix Ecclesia*. Sic enim ad amussim, quæ sequuntur: *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt*. Movebarque eo magis, quod aliquando errare hac in ipsa voce scriptos Codices animadverteram. Habeo enim satis bonum Exemplar Nonii, manu exaratum, in quo cum ad vocem, *Satu*, Nonius: *Satu positum pro Semine*. Exemplum deinde petatum ex Actii Telepho consimili errore subscriptum videas: *Profecto haud quaquam est ortus mediocri statu*. Alterum vero ex ejusdem Actii Pelopidis testimonium ibi additum, quod in editione (hac enim utor) Juniana, legitur: *Nam me heredem ex tuo esse conceptum satu ut argumenta redigunt animum & commovent*. Meus Liber magis apposite ad spem emendandi: *Nam me ut heredem ex tuo esse conceptum satu, & argumenta redigunt animum & commovent*. Unde modo ex herede facias, credim, antiquo more, omnia perbelle fluent: *Nam me ut*

*credim ex tuo esse conceptum satū , & argumenta redi-
gunt animum & commovent.*

Sed , ut ad Boisium , hanc illius emendatio vir-
tutem habet ; facilitatis , inquam , & dexteritatis.
Attamen , ut puto , rursus etiam nonnihil incom-
modi. Qualenam vero istuc ? Dicam , ut sentio ;
Non admodum facta , e meo quidem animo , ad
sensum Clementis hæc vox ἐξήρθησαν , quam alio-
qui Boisius adeo concinnam attulit. Quare ? Ec-
cum ! Etenim θυμὸν eo Clementis loco certe iram
accipimus : nec illam quidem ἀρχοσαν , ut Stoici
solent , at vehementem , sicut in his Comici : καὶ
Εὐριπίδῃ θυμέμεθα. Ac ratio θυμὸς est ad iram
apud Xenophontem hæc : ὅτι ἐστὶ θυμὸς ἵππῳ ,
ὅπερ ὀργὴ ἀνθρώπῳ. περ. ἵππ. Iræ autem minus
profecto videtur convenire verbum ἐξαίρεσθαι ,
quo melius utaris , ubi de fastu sit atque superbia
fermo , aut perturbatione alia sic efferente ani-
mum , ut attollat : cum ira efferat magis transver-
sos παρὰ φύσιν , quam sublimes. Ac noster qui-
dem , prò sua copia , verbo utitur , de superbia ,
etiam ἐπαίρεσθαι , cap. 21. assimili quidem illo ,
sed patente latius : ἀνθρώποις ἄφροσι καὶ ἀνοήτοις ,
καὶ ἐπαιρωμένοις καὶ ἐγκαυχωμένοις ἀλαζωνείᾳ. Enim-
vero ἐπαίρεσθαι extolli æque significat & efferri tra-
mite ; adeoque ad omnes perturbationes patet.
Inde fortasse , quod idem verbum aliquando va-
let , esse attonitum , vel exsternari. Ut in Aristoph.
Neb. σὺ δ' ἀνδρὸς ἐκπεπληγμένῃ καὶ φανερώς ἐπηγμέ-
νῃ. Sed in eodem Dramate , ἐπαίρειν haud male
conversum video , circumvenire : ἀλλ' ἀνδρ' ἀγροικόν
καὶ γέροντ' ἐπήγαλε : Frischlinus : *Me circumveniebatis
rusticum & senem.* Cumque omnium sit omnino
pertur-

perturbationum ἐπλήττειν, obturbare animum; externare, circumvenire, hinc facile factum fuit, ut verbo uno ad omnes uterentur. Secus de altero illo ἐξάγειν. Hoc enim, quod sciam equidem, haud temere nisi de perturbatione adhibetur, cuius non utcumque deflectere, verum attollere sit animum εἰς τὴν ἐκ φαντασίας σεμνότην, ut Stoici dicunt. Id sane irarum proprium ac θυμῶς. Itaque, quod Vir Doctissimus, Birrius, ibi annotat; *traxisse hoc quoque fortasse Clementem ex Romana consuetudine; In tantum irarum elati sunt*; ratio mihi videtur, ut vere dicam, nonnihil diversa. Quippe Clementem par est, si Latinum hoc habuisset in animo, potius fuisse redditurum, ἐξενέχθηναι, vel etiam illo superiore ἐπήρθηναι, quam sane dicturum ἐξήρθηναι. Enimvero, unum habent Latini verbum *efferre*, quo utrumque significant, & *in sublime attolli*, & *a via recta quaquaversum abripi*. Hoc, veluti cum Cicero: *Dolore efferrī, & iracundia largius digredi, quam decet*: quorum posteriore membro prius exponitur, ut *efferrī*, sit idem ac *longius digredi, quam decet*. Illud, ut cum ipse: *ea elatio animi, quæ cernitur in periculis*. Et Lucilius apud Nonium: *In quibus efferrimur rebus*, id est, *superbimus*. At Græci unum ex αἴρω compositum, quod, ut hoc Latinorum, utrumque valeat. Id autem ἐπαίγειν. Alterum ἐξάγειν, factum alia cum Præpositione indidem, sed minus late patens, quoque id melius explicant, quod est Latinis *extollere*, vel *in altum efferre*. Itaque ira efferrī vel gaudio æque bene Latinis dicitur, ac efferrī *superbia*. Ut græcis, utroque horum vitiorum ἐπαίγειν. Superbia ἐξάγειν, Græci optime. Ira non adeo usitate: hac enim ἐπαίγειν melius. Itaque, nisi

fallor, minus ad rem Clementis appositum istud
ἐξήρθησαν Boissii.

Ac si quidem ita diserte scriptum id verbum reperiretur in Clemente, non esset abs re, duriores græcismum, vel, ut dicam sic, e Latino satum, tum excusare, quo nil moveretur loco. Multa enim Græcos recentiores latinissare, cum structura, tum etiam verbis; qualia sunt illa Ignatii ἀκηπτα ac δεπόσιτα, & ἐξεμπλάριον, & δεσέρτωρ. Plane ad eundem modum, quo ex Græco multa item in Chaldaicas atque Syriacas interpretationes illapsa sunt. Nam de Phrasibus hebraicis, quot in novo usuveniant Fœdere, nota res est. Et in Ignatio illo ipso videor mihi notare Syriasmos. Ac Birrius nonnulla de isto Græcorum Latinismo, docte pro suo more ac prudenter, monuit ad Clementis τόπον ἔδωκεν cap. 7. nonnullis e novo Fœdere ibidem collatis; nempe Act. XXV: 16. τόπον τε ἀπολογίας λάβοι, & Hebr. XII: 17. μετανοίας γὰρ τόπον ἔχ εὖρε. In quibus tamen lubentius, quam cum Pricæo Latinismum, aut, cum aliis, qui huc ex Livio adduxere, *pœnitendi locum*, equidem Hebraismum caussarer. Est enim Talmudicorum eodem omnino sensu dicere: קוֹמַת נִיחָם. Hæc ergo, si Clementis haberent Libri ἐξήρθησαν. Nunc vero, cum emendationem hanc agnoscamus tantum ex conjectura, profecto videndum, ut ne magis conjectori, quam auctori licentia latinissandi tribuatur. Quod autem iræ videtur dare Annæus Seneca: *Extollit animos & incitat*: id plane quidem est ἐξαίρειν. Sed alio pertinet. Quippe ad initium, quod alii non secundum Stoicos, esse volebant iræ, amplificandi animos & exaggerandi. Ego,
si

si aliquid oporteat emendari, alio me conferrem. Effet mihi, ut Lucianus ait, *μία ἀγνοῖα ἐπὶ ἀβροχός*. Videlicet ea ratio, per quam immutatur quidem aliquid, sed nil mutando. Id mihi videtur fieri ubi nulla neque additur littera, neque detrahitur, neque porro invertitur, at duplicatur modo eadem. Nempe enim ampliari tum citius dixerim aliquid, quam commutari. Ac vide quaeso, (Quid enim vetat hoc minime alienum inferre?) num eadem ratio mederi possit loco Ciceronis ad Attic. L. 13. ep. ut olim, 39. ut nunc 40. *At vellem degustasse aliquid de fabulis*. Nam eruditorum est ad hæc plane inanias videre.

Legendumne, inquam; *At vellem degustasse aliquid de Fabullis*? Redibat scilicet ex Hispania tum Cæsar, qua de re ibi Cicero agit; post bellum contra Pompeji Liberos. Et quidem Fabullum in Hispania per ea tempora novimus aliquem e Catullo: *Nam sudaria setaba ex Iberis Miserunt mihi muneri Fabullus, & Verannius*. Cæterum ego Fabios existimarem fuisse, qui sic a Tullio per jocum appellarentur Fabulli. Nam Fabullus, & credo, Faburius, quod aliquando in Lapidibus, *ὑποκοριστικὸν* Fabii, uti Tertullus Tertii. Horum Fabiorum, si opus numero plurium satisfieri, duo erant, de quibus intelligi perquam commode Cicero possit. Alter Q. Fabius Maximus. Nam hunc, volente Cæsare, triumphaturum de Hispanis paulo post, quid tam verisimile, quam Ciceroni, cum ea scriberet, inauditum jam in Tusculano, verbo ut dicam ipsius, *ἀνεμοφόρητον* aliquid? Quippe qui enim Fabius suffectus Consul contra morem majorum triumphaverit, ex Capitolinis Fastis, III.

Non. Octobr. cum illa, inquam, Cicero scripsisset, ut facile colligo, circa initium Sept. ejusdem anni. Itaque ratio temporis congruit, ut Cicero tum ex Attico, tali ac tanta de re scisse vellet. Res autem ipsa sic, ut jocosè pro more suo quæreretur. Nam & Dione teste, & aliis, ridiculus ille triumphus plane, hominis *μὴδὲν ἰδίᾳ καθωρθώσαντος*. De altero, cur potissimum Cicero sciscitaretur, haud facile dixerim: neque enim omnia illorum temporum comperta sunt nobis. Nisi quod e Cæsarianis Hispaniensibus maxime scio fuisse C. Fabium Hadrianum, quadriennio ante, ut censent, Propræt. Hispaniæ, de quo multa Cæsar primo Civilium, & Dio. En ergo, de quibus possit festive dici a Cicerone: *At vellem degustasse aliquid de Fabullis*: id est, a te mihi scriptum, adhibito etiam scite verbo *degustandi*, nempe ad Fabullos vel Fabios. Nam Fabii, ut Plinius, a Fabis. Fabarum est autem, eduliorumque, degustari. Quamquam, dum hæc scribo, venit in mentem, etiam atque etiam posse cum hac allusione, retineri vulgatum *fabulis*. Dum tamen id non a recto *fabula* declinetur, quod interpretes faciunt, verum a *fabuli*, minutæ fabæ. Sicuti Plautus: *Nucibus, fabulis, ficillis*. Et Cato de R. R. *fabulos albos tres*. Sic autem quæsierit Cicero, eleganti sane dicto, vel de uno illo Fabio Maximo, an essent vera, quæ ad sese adeo mira ferebantur in Tusculanum? Scilicet mensibus tribus reliquis futurum Consulem, etiamque triumphaturum. *Sed vellem aliquid degustasse de fabulis*, id est, *ἐν αἰ-νυποῖς*, ut solet, de Fabio. Aliquid mihi a te de Fabis appositum, quod degustaretur. Cum præsertim hoc *μετρωπίας* more sciamus Tullium nostrum

strum apprime delectatum, qui Poculum, ut Plutarchus narrat, Diis dedicans, priores quidem sui nominis ac gentis expressit litteras M. T. pro eo autem, quod sequi debuit, Cicero, ἐρέειντον ἐτό-
γευσε. Quique in Cluentiana sic luserit de T. Gut-
ta & Bulbo: *Atque etiam conditor totius negotii Gut-
tam aspersit huic Bulbo.* Sequitur ad Attic. *Sed co-
ram, ut scribis.* Verum est, omnis illa quidem Epi-
stola mirum in modum cum obscura, tum cor-
rupta. Quam ego pro meo modulo, ut multa
in iis litteris, & illustrare sum conatus & emendare.

Hæc igitur litteræ duplicandæ ratio, quæ me
jam avocat nimium diu, cogitarem hoc loco, pos-
setne quadrare in Clementem, ac sane etiam in
Hesychium. Sic. Est verbum apud Aristopha-
nem Equit. εἰσῆρῆσεν, hoc versu: ἐξ ἔ γαρ εἰσῆρῆ-
σεν εἰς τὴν οἰμίαν. Ad quem Interpres, cum an-
notasset, in quibusdam Libris inveniri scriptum
εἰσέρῆσεν (credo, quod aliquis descriptor notiori
verbo sit magis delectatus) hæc ait: ἀντὶ τοῦ εἰσῆλ-
θεν, εἰσεπήδησεν. ὡς βία καὶ ἀναιδῶς τῇ πολιτείᾳ προ-
ελθόντος ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις. Eo respicit absque du-
bio etiam Etymologus. Habet enim εἰσῆρῆσεν,
neminem auctorem laudans, explicatque ad rem.
Cæterum ambigens, ab εἰσρῶ, τὸ εἰσερχομαι, fiat,
anne ab εἰσερῶ. Itaque εἰσῆρῆσεν, unica ῑ littera
duplicata superat Hesychianum istud ἐξήρησαν. In
quo, si pro εἰς, quæ notat accessum, ejus oppo-
situm ἐξ, recessum significare intelligatur, atque
illa deinde, quam dixi, littera duplicetur; jam,
ut εἰσῆρῆσεν irripit, sic ἐξήρησαν facile sit erumpere:
nihilque adeo diversum ab eo, quod est, ἐξώρμη-
σαν; quoque suum illud explicavit Hesychius.

Quin

Quin utrumque admodum viæ proprium, cujus affectus, ut inquit Seneca, *totus concitatus & in impetu doloris est, tum ut solitam quietumque egrediantur habitum.* Quod si ἐξήγησαν accipiam, prout aliis, atque his etiam, ad Te litteris exponebam, essent in promptu illa ejusdem Philosophi: *Horrenda facies depravantium se.* Nec, si mutandum aliquid, ille cariturus omnino ratione videretur, qui (etsi minus probante me) intacta, vocali, mallet ꝑ vertere in λ atque ita facere ab ἐξάλιω, ἐξήλισαν. ἐξήλικας ἐμὲ γε ἐκ τῶν ἐμῶν, Aristoph. Nub. Unde Plautus Men. *Quem ego hominem, si vivo, vita devolvam sua.* Quasi vero apud nostrum ἐξήλισαν diceretur cum ἐλλείπει pronominis ἐαυτὸς, *devolverunt sese.* Haud inusitata quidem illa Græcis, ut neque Latinis. Qua & Ignatius utitur ad Ephesios ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεῷ: Vet. Int. ad verbum: reaccendentes in sanguine Dei. Ubi Junius apud Usserium conjiciebat: φιλανθρωπίαν ἀναζωπυρήσαντες. Haud male; nisi prior illa vox olim interpolati fuisset Ignatii. Animadverti, Rodolphum Gualtherum in Polluce ipsum hoc verbum ἐξάλιω cepisse necessario cum eadem ἐλλείπει, dum hæc: τὸ δὲ κυλίσαι, καὶ ἀλίσαι ἐρεῖς καὶ ἐξάλισαι, vertit utrumque: *Volvere etiam, saltare & exilire vocabis.* Nihil tamen Seberus ibi. Latini quidem nil dubitant de suo, quod huic græco respondet, *volvare.* Hinc enim Virgilius: *volventibus annis.* Atqui, *anni*, ait Servius, *non volvant, sed volvantur.* Veruntamen quo progredior? Ecquis horum finis? Haud enim scio, tene major an me satias teneat. &c.